DE

CREOSOTI VI ET EFFECTU
IN MORBIS VARIIS CURANDIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVIII. M. MARTII MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MAXIMILIANUS FERDINANDUS WOCKE
VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
MOR. NEISSER, *MED. ET CHIR. DR.*
C. SCHWAND, *MED. ET CHIR. DR.*
P. RIBBECK, *MED. ET CHIR. CAND.*

BEROLINI
Typis F. Sittenfeld Jun.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

LIBRI CONFERENDI.

Reichenbach, das Kreosot in chem., phys. und medic. Bez. 2. Ausg. v. Schweigger-Seidel. Leipzig, 1835.

Miguet, das Kreosot u. s. w., übersetzt v. Martiny. Weimar, 1837.

Frémanger, recherches et observations sur la créosote. Metz, 1835.

Herwig, Dissert. de viribus medicis Creosoti. Tübingen, 1835.

Simon, Dissert. de Aquae Binelli et creosoti virtute styptica. Berol., 1833.

Cormack, a treatise on the properties of creosote. Edinburg, 1836

Corneliani, esperienze ed observazioni sull' uomo e sugli animali interno alle virtu del creosote. Pavia, 1835.

Dierbach, die neuesten Entdeckungen in der mat. med. 2te Ausg. Bd. 1. S. 315.

Koehler, in Heckers neuen wissenschaftlichen Analen der ges. Heilk. Bd. 1. S. 285.

Reich, in Hufeland's Journal. 1834, Jan. S. 79.

Schmidts Jahrbücher, Bd. II., p. 6, 150, 151, 269. Bd. 3, p. 13, 290; Bd. 5, p. 161; Bd. VI., p. 269; Bd. XI. p. 155 Bd. XI., p. 156; XVI., p. 14; Bd. XVIII., p. 296.

Curtis, Gazette med. de Paris 1839, Nr. 7.

Med. Correspondenz-Blatt d. würt. ärztl. Vereins. Bd. 3. S. 37, 94, 169, 254, 151.

Acetum lignosum et pix liquida jam antiquissimis temporibus ad res vegetabiles et animales conservandas in usum vocabatur. Aegyptii cadavera, ne decomponerentur, fluido ex destillatione lignorum odoras continentium resinas parato tingebant. Similiter etiam apud nostrates lignum et praecipue naves et funes pice liquida delinuntur, ut tempestatis et humiditatis impetui facilius resistant. Qua ratione hoc fiat, et quaenam materies vim decompositionem arcentem exerceat, anno h. s. XXXII a Reichenbach detectum est. Creosotum appellavit, quoniam virtus ei inest, carnis putrefactionem prohibendi (κρέας et σώζειν).

Reichenbach, Müller, Simon, Reiter, Cormack, Herwig, alii, creosoti virtutes multis illustraverunt experimentis, ejusque vim et chemicam et physicalem accuratissime indagavere. Vis ejus versatur in virtute coagulandi albumen liquoris sanguinis. Primum creosotum a medicis propter vim excelsam in diversis affectionibus maxime laudatum est, sed quum non omnino spei saepe inconsideratae responderet, a multis ejus usus refutatus est; unde id quoque explicandum, quod in paucis tantum pharmacopoeis creosotum medicamentum praescriptum est. Verumtamen infitiari non possumus, medicos hac ratione judicantes injuste agere, quum multis experimentis summa ejus virtus satis superque probata sit. Quibusnam in morbis adhibendum praecipue sit creosotum, nunc investigemus.

HAEMORRHAGIAE.

Paullo postquam creosotum detectum, et remedium stypticum adhibitum est, et multis experimentis a Simon, Müller, Miguet, Hoering, Reiter, aliis, in animalibus factis nullum, nisi valde incertum praebuit eventum. Maxime in albuminis coagulationem valere dicebatur, qua ex causa effectus stypticus originem duceret; verum hoc est nullius momenti, quod praecipue fibrina, quae creosoto omnino non mutatur, thrombus formatur, et albuminis mollia coagula sanguinis profusionem nullo modo inhibere possunt.

Reichenbach creosotum valde laudat in vulnerum haemorrhagiis, attamen modo quatuor affert casus, quos non ipse intuitus esse videtur. Haemorrhagiam lavatione aqua creosoti cohibitam, vulnusque celerrime sanatum esse dicit; duobus vero in casibus vulnus fuit perexiguum, ita ut etiam sanguinis profusio parva haud dubie sponte sisteretur. Berthelot quoque prospere creosoto in vulneribus sanguinem fundentibus utebatur; bis eodem remedio sanationem per primam intentionem haud exspectatam fieri vidit. Fichtbauer facile in vulneribus, hirudinum morsu exortis, creosoto sanguinem compescebat; similia refert Miguet, qui semper vulnera leviora celeriter ac sine purulentatione sanari inveniebat. Hoering contra epistaxin violentam, quae nullis medicamentis cederet, duas creosoti solutione satiatas lintei carpti turundas adhibuit, quibus sanguinis effusio statim evanuit. Reich et Hauff injectiones aquae creosotatae in uterum haemorrhagicum perutiles laudant, et Schneider septem horarum profluvium sanguinis a maxillae superioris gingiva ortum viri octoginta annos nati, eo cohibuit, quod eum tantum aquae creosotatae in oris cavitatem recipere jussit, quantum potuit; hoc ter peracto haemorrhagia cessabat et nunquam rediit. Etsi his observationibus reosoti vis haemostatica valde effertur, multa tamen offert

experientia, quae eandem incertam et dubiam ostendant. Koehler sibi scalpello in antibrachio sinistro incisionem unum pollicem longam et III—IV. lineas latam fecit, vulnusque saepe creosoti aqua perfudit, ut sanguinem retineret, nullum vero effectum, nisi vehementes dolores animadvertere potuit; gutta tunc creosoti puri intra vulneris margines instillata sensum fervoris et palpitationis effecit, cinereique flocculi coagulati orti sunt, qui statim totum vulnus tegebant et haemorrhagiam subito finiebant, quae quidem brevi post revertebatur. Mox tamen haemorrhagia omnino cessabat, quod quidem et aqua frigida adhibita fieret, fervor vero et palpitationes per horam adhuc durabant; vulneris margines tumefacti, oedematosi, quatuor horis praeterlapsis, lympha flavescente et siccante obducti, nullum fecerunt cicatrisationis impedimentum. Uti Koehler, ita Hahn quoque, qui creosotum saepius in levioribus vulnerationibus adhibebat, eundem effectum videbat, ut ab aqua frigida. Bardili creosotum et aquosum et purum in haemorrhagia gravi ex arteria tibiali postica frustra applicavit.

Si igitur his diversis sententiis vis creosoti in haemorrhagias externas incerta videtur, quanto incertior jam erit in internas, nisi remedium forte in locum ipsum laesionis adhiberi possit, ut in haematemesi, contra quam Basedow et Krebs aqua creosoti prospero, Hauff vero nullo eventu utebantur. Santini exemplum narrat haemoptyseos, in quo creosotum maxime valere videbatur. Item Schmalz affirmat, apud virum quinquaginta annos natum secretionem sputorum sanguinolentorum et puriformium modica cum febri junctam creosoti auxilio se superasse. Valde dubius vero fuit effectus creosoti in uno haemoptyseos casu, quem Guitti observavit et retulit, in quo medicamentum maxime aquosum et certe dosibus modo minimis dabatur.

VULNERA.

Apud recentia vulnera de creosoti usu et effectu jam est expositum; nunc cujus momenti sit ad sanandum vulnus explicemus. Hac etiam ratione jam relatum est ab Reichenbach, Miguet et Berthelot vulnera, quibus creosotum applicatum erat, celerrime per primam intentionem sanata esse. Miguet hunc enarrat casum. Infans duodecim annorum, qui illum incisione opus esse, ut sanguinem sisteret, dicere audivit, sibi ipse, ut animum fortem ostenderet, statim incisionem circa trium linearum longitudine applicavit; creosoto adhibito, quinque minutarum spatio praeterlapso, margines ita erant contracti, ut vix vulneris signum detegi posset. Idem auctor etiam vim creosoti cum natri muriatici virtutibus experimentis comparabat; si creosotum impenderat, semper purulentatio brevius tempus perdurabat, minorque erat, quam natro muriatico in usum vocato. Contra haec vero aliae sententiae opponuntur. Simon quidem putat creosotum et maxime dilutum vulnera irritare, telam cellulosam quam tangat afficere necrosi, eoque sanationem longum tempus protrahere; in tenerioribus igitur individuis nunquam adhibendum esse. Blasius creosotum recentioribus vulneribus semper alienum invenit, quod malam efficiat purulentationem, nec haemorrhagias inhibeat. Quae harum opinionum sit recta, id accuratius inquisitionibus etiamnunc evolvendum. Quod attinet ad vulnera contusa, Hahn haec refert de creosoti virtutibus. Cutis partes detritae celeriter exsiccantur et crusta obducuntur, creosoto illito, quod vero idem fit, parte laesa aëri exposita; vulnera superficialia cujuscunque magnitudinis mox bruneam formant crustam, quae soluta vulnus sanatum reddit. Eundem vero exitum solutione lapidis vulnerarii Pharm. Saxon. adhibita videmus, et quidem celeriorem quam aqua creosoti. Apud profundiora vulnera aut nulla aut tenuis crusta apparet, quae nunquam solvitur

nec vulneri ipsi ullam conditionem meliorem affert, marginibus inflammatis et si linteum creosoto satiatum imposueris, sanguinem profundentibus. Ex his omnibus intelligimus, creosotum quidem carnem servare et dissolutionem prohibere, sed nullo modo carnificationi subesse, immo etiam purulentationem impedire et nisi in vulnera nimium puris secernentia non adhibendum esse. Contra haec quoque a multis (Berthelot, Levrat, Guitti) laudatur. Reich in variola vera confluenti prospero cum successu lavationibus aqua creosotata institutis usus est, ut secretionem abnormem mutaret.

INTERTRIGO.

Contra infantum intertriginem creosotum lotionum forma adhibitum eximium praebuit fructum, una cum seminum lycopodii adspersionibus, secundum Reichenbach et Schweigger-Seidel.

Et apud mammarum papillas attritas Hoering et Fichtbauer creosoti utilitatem laudant.

EXUSTIONES.

Circa has prima experimenta ab Reichenbachio instituebantur, quibus salubre se creosotum exhibuit; postea creberrime in usum vocatum est, ac praecipue in exustionibus, quae non partes profundiores aggrediebantur, aptum se praebuit. Casum late extensae sed superficialis exustionis Tieftrunk de viro salario narrat, qui in cortinam in qua sal coquebatur projectus, inferiorem corporis partem usque ad umbilicum, et praeterea antibrachium dextrum conbusserat. Primo fomentationibus aquae frigidae institutis, postea vero creosotum aquosum adhibebat in cataplasmatum formam redactum, quod quidem violentissimos propter dolores, quos provocabat, paullo post seponi debebat. Idem medicus bis creosoti auxilio in

exustionibus, quae in stadio suppurationis erant, cicatrisationem optimam formari videbat. Etiam Berthelot duos combustos celeriter creosoti ope sanabat, quo superficialiter laesae partes exsiccabantur; supra profundiores vero crusta formata, nulla suppuratione valetudo in integrum restituebatur. Guitti saepius creosotum contra hanc affectionem in usum vocabat. In pede aqua fervente combusto, qui aqua Goulardi tractatus et suppuratione nimis copiosa et gangraena laborabat, unguentum creosoti suppurationem sustulit, partes gangraenosas removit et ulcus purum reddidit, quod sex post dies omnino sanatum est. Similia et a Goupil et Guelfi observata sunt.

De creosoti in perniones virtute Hahn bonum se fructum percepisse refert; brevissimo scilicet tempore fomentationibus aquae creosoti adhibitis sanabantur, licet jam ulcerati essent.

ULCERA.

Ulcera atonica. Bucerius pertinaciam ulceris pedem obtegentis, quod verisimiliter ex scabie per metastasin erat ortum, creosoto aquoso frangebat, moxque statum meliorem provocabat. Heyfelder ait, creosotum cum cera et oleo amygdalarum in unguentum commixtum, aut cum aqua fasciculis lintei carpti instillatum, in nonnullorum senum ulcera pedum atonica optimum eventum attulisse, quippe quae valde diminuerentur et pus secernerent purius, raro vero omnino clauderentur. Contra Koehler creosoto et unguenti forma et puro et aquoso multa in ulcera atonica vel frustra usus est, vel purum medicamentum irritatione, quam in ulceribus movebat, praetereuntem imminutionem ichoris copiose secreti effecit. Semel in feminae ulcus putridum in crure positum duos per dies creosotum adhibebatur; deterior tamen quum conditio evaderet, tres per dies sequentes remedium seponebatur, ulcus linteis carptis siccis obtegebatur et haud alio modo tractabatur. Effectus hujus curae se memorabilem exhibebat

fundus purior, suppuratio ichorosa tenuior existebat et paucis praeteritis diebus, margines sibi appropinquare et ad cicatrisationem praeparari incipiebant. Tunc reorganisatio hac simplicissima cura lente quidem, sed perpetuo progressa est, ita ut aegrota duorum mensium spatio sanaretur. Hoc prospero eventu indictus Kochler majorem fructum sese percepturum putabat, si creosoto modo ad tempus uteretur, quae quidem opinio re ipsa non est comprobata.

ULCERA VARICOSA.

Reichenbach tres affert exempla talium ulcerum, quae jam per annos durabant et manus magnitudinem superabant, creosoto vero omnino sanabantur. Primum ter per diem ulcera creosoti aqua lavata, jam in secunda lotione dolorem amiserant, et decem post dies jam ad dimidium pristinae magnitudinis redacta erant; deinde cum sanatio nimis protraheretur, quotidie vulnera linteis creosoti aqua infectis obtegebantur, qua cura septem per hebdomades instituta, ulcera sanata sunt. Berthelot jam decem annos existens ulcus varicosum, marginibus callosis instructum, non exigua magnitudine, prosperrime creosoto curabat. Principio gossypium creosoto humefactum adjecit, postea ad tempus nonnullas guttas creosoti puri instillabat, quo statim suppuratio et odor foetidus evanuerunt; intra paucos vero dies cuticula tenere formata paullatim super totam superficiem se extendebat et post XLII dies ulcus omnino cicatrisatum erat. — Guitti in ulcere varicoso creosotum contra sanguinis permagnum profluvium adhibuit. Primo ulcus aqua purgatum, deinde penicillo in creosotum merso oblitum est, statimque albuit tanquam argento nitrico infectum; in locum, quo vena rupta erat, linteum creosoto satiatum adjiciebatur, supra compressa et fascia. Tribus praeteritis diebus ligatura rejecta est; crusta totum obtexit ulcus, qua remota vena parvo cruoris coagulo clausa apparuit.

Haec intacta manebat, sed in ejusdem circuitu ulcus denuo creosoto oblitum et ut antea ligatura instructum est. Duos post dies fundus ulceris rubefactus, aequalibus marginibus circumdabatur, et omnibus cruoris coagulis remotis. vena clausa rubrum obtulit colorem. Nunc loco creosoti puri aquosum adhibebatur, quod omnino satisfecit, ut ulcus plane exsiccaretur et quasi radians contraheretur. Tota cura in septem dierum spatio finita est. — Hahn hanc summam observationum suarum refert. Ulcera varicosa superficialia usu creosoti aquae fomentationum forma in crustam bruneam mutantur, quae longe persistit, sed si deciderit, locum sanum reddit; aut, quod aliis locis jam assidebat, partim majore corrugatione novam inflammationem et suppurationem efficit. Apud profundiora vero ulcera margines invertuntur, fundus ad formam subjacentium partium aut aequus aut iniquus nonnisi serum secernit et tali in conditione, doloribus adauctis, permanet, seu membrum moveatur seu summa tranquillitate gaudeat. Et Reich in ulcere inveterato varicoso aqua creosotica cum successu fausto usum se esse narrat. Crusta coriacea apparebat, qua soluta ulcus purius factum sanis granulationibus obtegebatur, ita ut cicatrisatio celeris exspectari posset. Haemorrhagia copiosa ex varicis ruptura orta, aegroto fuit incitamentum medicum alium advocandi, qui cum emplastro mitigante et summa patientis tranquillitate tandem ad sanitatem reduxit.

ULCERA PHAGEDAENICA.

Rath et Meisinger creosoti vim salubrem nonnunquam in phagedaenicis ulceribus pedi insidentibus viderunt. Hic ulcus jam viginti per annos existens, quod fere totum crus occuparat, et foetidissimum odorem exhalans cariem minabatur, quare jam nonnullis annis ante amputationem indicare videbatur, creosoto curabat; duodecim post horas dolores minuebantur, ulcus purius redditum omnino foetore carebat et eo

tempore, quo casus vulgabatur, summa spes completae sanationis aderat. Contra haec observata Koehler creosotum in phagedaenicis ulceribus usum praebere negat.

De creosoto in ulceribus scrophulosis externe adhibito nonnullo ab Reichenbachio relata exstant, quibus hujus medicamenti utilitas declaratur. Similia observavere Niemeyer, Blasius, Bucerius, Meisinger et Heyfelder. Niemeyer creosoto tribus in casibus usus est scrophulosorum ulcerum, praecipue colli: creosotum bis aut ter quotidie linteis carptis infiltratum injiciebatur. In uno casu, quo praecipitatum ipsum hydrargyrum rubrum nullam mutationem protulerat, vulnus celerrime sanatum est, reliquis vero duobus eventus fuit perexiguus. Bucerius bis ulcera mox ad meliorem redire statum vidit, tardius vero sanari; saepissime nimiae irritationis causa remedium aut unum aut duos dies seponi oportebat. Otto refert: ulcera quidem brevi tempore, saepe jam post viginti quatuor horas meliorem ostendere adspectum, verumtamen non cicatrisari, qua de causa praecipue in inveteratis calcariam chlorinicam praeferendam esse. Interdum creosotum profusam ac malam suppurationem minuens ulcera scrophulosa puriora reddebat, plerumque vero statum universum in pejus vertebat, quum suppuratione moderata locales dolores, agrypnia levesque febriculae orirentur. His motus causis Otto creosotum in scrophulosis ulceribus haud apte in usum vocari arbitratur.

Adversus ulcerationes cariosas jam Reichenbachius creosoti salubritatem ostendit. Hahn bis injectionibus creosoti aquosi exfoliationem ossis in carie scrophulosa valde acceleratam videbat. Idem quoque affirmant Ritgen, Hauff, Carbiglietti, Guelfi, Frémanger. Rath tibiae et ossis femoris cariem curabat, quae ex gravi in genu lapsu orta, cum febri jam lenta complicata erat. Cum operatio non concederetur, creosotum ultimum refugium non solum externe compressis et bourdonnetis, sed etiam interne adhibuit. Initio

eventus nequaqum faustus videbatur. tumor quidem et febris augebantur. sudores et secretiones fiebant copiosiores; quatuordecim vero diebus praeterlapsis, sudores remittebant et effluvium qualitatem puris boni nullumque foetorem praebuit; febris modo post longiora intervalla regrediebatur tumorque minuebatur. Sic status melior fiebat. parva ossium fragmenta dejiciebantur, vires valde exhaustae redibant, exulcerationes paullatim comminutae. mox omnino cicatrisationem inibant, et aegrotus praeter exiguum genu commissurae rigorem plane sanescebat. Haud ita prosperum creosotum se exhibuit in duobus a Goupil observatis ulceribus fistulosis, quae cum ossibus cariosis communicabant.

ULCERA CARCINOMATOSA.

Guitti ulcus carcinomatosum ad nasi alam primo puro tractabat creosoto, quo vero effectum nullum permanentem accepit, donec tandem consilium cepit, degenerationes luxuriantes scirrhosas in fundo ulceris excidendi, quo facto exulceratio continuo creosoti aquosi usu paullatim cicatrisata est. Meisinger apud faciei carcinoma ab unguento creosotato fructum percepisse, Friese etiam tale sanasse affirmat. Et E. Graefe apud virum septemdecim annos natum haud dyscrasicum, faustissimum effectum creosoti in ulcus nasi carcinomatosum observabat. qui quidem casus ante sanationem perfectam literis mandatus est. Heyfelder ait: tribus in casibus cancri cutanei creosotum semel, aut bis quotidie applicatum, fundum quidem puriorem, sed nullam cicatrisationem effecisse, etsi haec cura octodecim, viginti septem dies, et sex hebdomades continuata esset. Omnes tres aegroti celeriter sanati sunt, simulac creosoti loco remedium Hellmundii adhibitum est. Breschet etiam ulcus carcinomatosum post creosoti usum melius se habere observabat; paullo post vero partes propinquas destruere pergebat. Théallier creosotum aquosum

contra carcinoma mammae in usum vocabat; statim aegrota violentissimo dolore vexabatur, qui supra dextram pectoris partem, caput et extremitatem dextram inferiorem se extendebat; dolores post horae spatium minuebantur et mox cessabant. Per septem octove dies status melior manebat, tum autem subito gravi animi perturbatione dolores redibant, qui rursus creosoto leniebantur. Nulla tamen spes aderat morbi sanandi. Reichenbach duos casus narrat carcinomatis mammae, qui ambo ad operationem designati erant; unus vero creosoto omnino in integrum restitutus, alter tempore, quo haec literis tradebantur, jam meliore conditione gavisus est. Rath observabat, in femina jam ter ob carcinomatosas degenerationes mammarum glandularumque axillarium secta, cui in claviculae regione tumor scirrhosus apparuerat seque in cancrum apertum mutaverat, creosotum dolores valde lenivisse et foetoris penetrantis magnam imminutionem attulisse. Dzondi vero nullum cognovit fructum ex creosoti in carcinomate mammae usu. Contra uteri carcinoma hucusque nulli creosoti effectus prosperi animaduertebantur. Rath creosoti et maxime diluti injectiones nonnisi violentes dolores flagrantes sequi videbat. Wolff duabus aegrotis creosotum per vaginam injiciebat. Apud unam dolores ita augebantur, ut jam nono die, sex modo libris aquae creosoti injectis, cura finiri deberet; apud alteram per viginti sex dies hoc remedium adhibebatur, cujus sedecim librae consumebantur, doloribus paullatim summum ad gradum accedentibus. Ambarum secretio uterina non melior reddita, neque metrorrhagiae refutatae sunt; una enim post copiosam metrorrhagiam obiit, altera vero longo tempore post exstincta est. Pariter Heyfelder injectiones aquae creosoti in uteri carcinomate adhibitas nihil ad valetudinem restituendam valuisse existimat.

Multo benignius vero creosotum se exhibuit in ulcerationibus uteri haud carcinomatosis. Hahn in ulcère superficiali hujusmodi, quod mucum puriformem copiose profundens, jam

per menses aliis remediis frustra curatum erat, effluvium in quatuordecim dierum spatio omne removit. Huc etiam referatur casus a Théallier narratus. Femina triginta quatuor annos nata, quae undecies peperat, jam per annum chronica uteri inflammatione laborabat et corporis uteri hypertrophia et anterioris labii uteri orificii. In mucosa granulationes et ad orificium superficiales exulcerationes aderant, quae plus quam vicies argento nitrico tactae, quaque cauterisatione evanuerant, ut nonnullos post dies cum doloribus et magna leucorrhoea redirent. Hirudinum applicatio saepius ad uteri collum iterata tumorem imminuebat, in ulcera vero effectum declarabat nullum. Nunc ulcera et uteri collum creosoti solutione ex una creosoti et tribus aquae partibus mixta inficiebantur, dolores autem gravissimi sequebantur atque convulsiones. Injiciebatur aqua calida, qua dolores lenirentur, qui tamen non ante diem secundum cessabant. Aegrota nunc e lecto egrediebatur, quod antea fieri non potuit, et sex diebus praeteritis nihil ulcerum inveniebas. Verumtamen collum uteri jam creosoto valde aquoso humectabatur, ut dolores minuerentur. Tempore, quo haec prodita sunt, dolor exiguus et in loco ulcerationis rubor vigens reperiebatur; quare Théallier ex aegrotae conditione sanationem totalem expectare posse se putabat. Eodem modo et Colombat colli uteri ulcera aqua creosoti bourdonnetis per speculum vaginae ulceribus admotis humectabat; postea vero injectiones instituebat, quibus dolores haud horam superantes provocabantur. Quinque in hebdomadibus uterus plane in integrum restitutus est.

ULCERA SYPHILITICA.

Inter Reichenbachii observationes nonnulla inveteratae syphilidis reperimus exempla, quae evincunt morbum creosoto externe contra ulcera ipsa in usum vocato sublatum esse, talibus adeo in casibus, ubi nullum antea hydrargyrum adhibitum

esset. A compluribus medicis haec in ulcera syphilitica virtus laudatur. Sic Meissinger creosoto saepe magno cum fructu utebatur, sed usum longum per tempus continuendum, in loca pejora interdum et purum creosotum applicandum, ceterum vulnus quam maxime exsiccantibus remediis tractandum esse declarat. Smith refert de syphilitico, qui phimosi et ulceribus praeputium circumdantibus vexatus, nullo modo ab his liberari potuerit; denique ex creosoti usu celerrime statum meliorem cicatrisationemque exulcerationum exstitisse. Alii vero medici creosotum quidem in ulcerum malignitatem multum valere, nunquam vero id solum sanationem afferre ajunt, quippe quae aliis remediis adduci debeat. Similia de condylomatibus dicenda. Reichenbach primus in ea creosotum applicabit, quo decem aut duodecim factis cataplasmatibus condylomata siccata decidebant. Postea et Reich, Rehfeld, Heyfelder, Hahn creosoti in condylomata bonos videre effectus. Fricke tangebat condylomata acuminata penicillo in creosotum merso; statim circumferentia albescebat, condylomata ipsa vero nonnullis horis post albidum aut brunescentem colorem praebebant. Vigintiquatuor horis praeteritis superficiei condylomatum pars erat emortua, sicut quoque epithelium affine, sub quo jam recens epithelium proprio splendore praeditum apparuit. Secunda creosoti applicatio eundem exhibuit eventum. Minora condylomata semel vel bis tangendo satisfiebat, majora saepius tangenda erant. Singulis in casibus pertinacibus quatuordecim dies ad tres hebdomades praeterlabebantur, antequam condylomata evanuissent, quae tum vero nunquam redibant. Tantum quidem fructum experimenta in Caritatis nosocomio Berolinensi instituta praestare non poterant.

CARIES DENTIUM.

Dolores ex dentium carie ortos creosoto evanescere jam Reichenbach observabat, qui hunc usum perluendo ore

aqua creosoti percepit. Praestantiorem vero fructum affert, si creosotum, aut purum, aut cum duabus vel quatuor spiritus vini rectificatissimi mixtum partibus, gossypio vel linteis carptis vel penicillo denti carioso infertur. Caries tamen ipsa nullo modo minuta, ut antea progreditur.

SECRETIONES ABNORMES MEMBRANARUM MUCOSARUM.

In leucorrhoea Schmalz saepius creosoti injectionibus utebatur, semperque, quod etiam Most in virulenta ipsa leucorrhoea experiebatur, optimum consequebatur effectum.

In gonorrhoea applicabant Most et Reich, et in recenter orta et jam in secundo stadio versante, seu injectionibus, seu in urethram illatis bourdonnetis, ac fausto quidem successu. Talem capere non potuit Hahn, qui nonnunquam injectiones frustra adhibuit; uno adeo in casu orchitis exoriebatur. Idem vide redamnum in ophthalmoblennorhoeis Schott et Sanson. Coster vero dusa jam per annos aliis medicosmentim tractatam inflamationem chronicam marginis palpebrarum et nonnulla ibidem orta ulcera decem dierum tempore, bis quotidi aqua creosoti adjecta sanabat. Ut vero creosotum ad abnormem secretionem coërcendam advocabatur, sic etiam, ut hae nimis minuta in priorem redigeretur statum, usurpabatur. Curtis creosotum laudat in surditate ex perexigua cerumini secretione orta.

GANGRAENA.

Inter multa ab Reichenbach literis mandata et unum re perimus exemplum vulneris gangraenosi, quod cum fractur duplice complicatum creosoti ope celerrime reconvalescentia stadium nactum est. Hohl bis in labiis pudendis putrefact vim creosoti medicatricem expertus est, foetor quidem stati

evanuit et gangraena haud amplius progressa est; tela cellulosa enecata rejecta, planum se praebuit ulcerosum, quod pus bonum secernens mox sanescebat. De commodis vero ex creosoti applicatione in gangraena progrediente percipiendis nunc fere nulla existunt documenta.

DECUBITUS.

Quod ad hunc attinet, Hahn accuratius perscrutatus est Si, inquit, ulceratio aderat nulla, saepius per diem partes rubefactas aqua creosoti lavandas curavi, quo, credo, ulceratio provisa est; si vero jam ulcera exstiterant, partem ulcerosam linteo in creosoti aquam immerso obtexi. Paucos post dies crusta brunea formata est, quae postea de lapsa ulcus sanum reddidit; sed profundiora ulcera in planum, exiguam seri, nullam puris quantitatem secernens, mutabantur et ita manebant.

EXANTHEMATA CHRONICA.

In haec quoque creosoto sananda primus Reichenbach medicorum attentionem vertebat, praecipue contra scabiem laudanis, quod in hoc morbo pruriginem haud tolerandam mi tiget et exanthema ipsum celeriter et nullo cum damno sanet Creosoti salubritatem in eodem morbo ut Tieftrunk, Wolff Bluff, Schweigger-Seidel, Niemeyer, alii confirmant: Scabies intra octo ad quatuordecim dies sanata, tamen non rarissime recidebat, ita ut creosoti usus alias curandi methodos nullo modo superet, iisque adeo ob sumptus majores semper sit postponendus. Schweigger-Seidel in prurigine scroti tam splendidum observabat creosoti effectum, ut jam post paucos dies sanatio exstiterit. Niemeyer pruriginem latentem extremitatum individui arthritici per octo dies lotionibus aquae creosoti institutis vidit in inveterata prurigine, quae cum

ecthymate complicata jam permultis remediis frustra impugnabatur. Quatuor per dies creosoto lavatae pustulae ecthymatis victae fiebant, exanthema vero papulosum nullam meliorem nacium est conditionem, etsi eadem cura per sex adhuc dies pergeretur. Tunc unum corporis latus bis quotidie unguento creosoti multum continente fricatum est et eventum praebuit speratum, hac cura decem per dies adhibita. Idem tum in altero fiebat latere cum eodem successu, sed nonnullis praeterlapsis hebdomadibus morbus rediit.

Impetiginem sparsam ante vigintiquinque annos, ut dixerunt, ortam et super latus internum femorum, labia pudenda et nates extensam, Wolff eventu celerrimo et memorabili in octo hebdomadibus hoc medicamento devicit. Creosoti aquosi fomenta vehementes dolores flagrantes provocabant, quapropter jam post octo dies remedium rejici debebat, et postea nonnisi alternatim cum calidis aquae fomentationibus usque ad sanationem adhibebatur.

Eczematis chronici Goupil duobus in casibus cum saluberrimo effectu creosoto usus est. Verisimile etiam videtur, multa a medicis allata exanthemata lichenosa madentia, quae creosoto superata, huc esse referenda.

Ichthyosin maximam corporis partem obtegentem. Martin-Solon unguento creosoti haud forti in quatuordecim diebus sanasse se disit.

Lupum creosoto adhibito superatum videre Grandjean, Rossi et Chevallier.

In exanthemata syphilitica Bluff et Leserré creosoti nullum effectum observabant; Reich contra ejus in talibus morbis optimum fructum nactus est.

Contra elephantiasin Graecorum Coster creosotum advocabat. Totum infantis corpus tuberculis obtectum erat, quae in singulis partibus jam summum conformationis gradum assecuta erant, ita ut oris cavitas ulceribus foetentibus impleta, vox aspera et respiratio impedita esset. Coster creosotum et

interne dedit, et externe fomentis in genas, nasum et mentum factis adhibuit. Prima cataplasmata ruborem, calorem levemque ardorem efficiebant; post duas hebdomades tubercula satis largam suppurationem praebebant et granulationes benignae aderant, quae cuticula rosea obtegebantur; mox nigricantes crustae crassae formatae tubercula denudabant, quorum magnitudo multo diminuta erat. Tum nova intrabat suppuratio, tuberculaque parva omnino removere conabatur. Ad hoc stadium morbus provectus erat, cum Coster eundem literis mandaret, nullo modo spe objecta eum hac cura posse devinci.

HYDROPS.

De creosoti utilitate in hydrope cutaneo Buttmann exemplum maxime memoratu dignum narrat. Femina corpore amplo, septuaginta annos nata, jam perdiu oedemate amborum crurum, doloribus rapidis et interdum febribus violentis vexabatur. Multis frustra impensis remediis, creosotum ultimum refugium habitum, cataplasmatibus applicatum est.

Quo pedes oedematosi mox ita exsiccati sunt, ut nunc tali modo tenuiores facti, quam antea incrassati viderentur. Valetudo universa minime turbata etiam febribus prius saepe remittentibus omnino carebat.

MORBI CANALIS DIGESTIVI.

In cholera asiatica Elliotson creosotum nullum usum afferre inveniebat, nisi quod statim vomitum removeret, quem effectum et postea observabat in omnibus vomitionibus, non ex inflammatione aut e ventriculi vitio organico originem ducentibus.

In dysenteria creosotum maximis laudibus effert Reichenbach. Creosotum aquosum interne dabatur et primo

quidem valde dilutum, tum fortius, postea cum aquae aequa parte mixtum; semel per horam cochlear sumebatur. Haec cura tamdiu continuabatur, quam tormina ventris adessent, quae quidem plerumque in duodecim horis desinebant, saepius et in duabus vel tribus.

Post viginti quatuor horas secessus cruenti cessabant, diarrhoea vero modo gradatim minuebatur; primo grisea, postremo secretio ad normam redacta est. Quum primum diarrhoea cruenta desineret, creosotum rejiciebatur, nec nisi mucilaginosis medicamentis cura continuabatur. Omnes ita celeriter sanatissunt, ut modo unus aegrotorum mortem obierit, in quo etiam remedium virtutes suas egregias in lucem protulerat.

Et in helminthiasi creosotum praestantissimum se exhibuit medicamentum. Rath in viro, qui ulcere carioso laborabat, creosoti usu interno taeniae membra removeri vidit; qua cura allicitus Kraus creosotum in taeniam adhibuit et valde efficaciam laudat. Schweigger-Seidel clysmatibus aquae creosoti copiosum secessum oxyuridum vermicularium effecit.

Et in typhum abdominalem Blumenthal creosotum adhibuit, et quidem in hanc formam, quae nervosa torpida vocatur; idemque tribus relatis morborum historiis ejusdem efficaciam demonstrare tentabat.

MORBI SYSTEMATIS RESPIRATORII.

Nonnullis a Reichenbach allatis exemplis permagna spes exstiterat, creosoto huic morbo tandem finem poni posse. Ista vero valde fefellit, nam aut nulli, aut etiam adversi eventus elucebant. Summae auctoritatis sunt tentamina, quae Wolff in Caritatis nosocomio suscepit. Undecim homines phthisici creosoto curati sunt, quorum unus in stadio primo octo in secundo, duo in tertio versabantur. In duobus aegrotis nullum ostendebat effectum, nam remedio per quatuorde-

cim dies adhibito, ab uno quinquaginta duobus, ab altero septuaginta granis sumptis, nec melior evasit conditio, nec pejor. Apud alium adeo jam undecimo die seponi debebat, quia vomitus exstitit violentus; aegrotus posteà defunctus est. Apud sex viros status omnino pejor redditus est, et aegroti, qui sexaginta quatuor, septuaginta sex, octoginta duo, nonaginta sex, centum et octo grana acceperant, paullo post mortem obiere. Duo aegroti, quorum morbus ad stadium secundum provectus erat, repente mortui sunt, alter quarta curae die suffocatione, alter septimo die, celerrime orto hydrothorace, cum grana duo et viginti quatuor sumsissent. His aegrotis nullam attulit utilitatem, et si ea observamus, quae eventa creosotum praebuit, certe hujus in phthisi valde periculosa videatur applicatio. Pulsus frequentia augebatur et febris lenta, urinae secretio minuebatur, sputa nec qualitate nec quantitate mutata haud levius expectorabantur, et tussi nullo modo lenita dyspnoea jam crescebat. Semel epistaxis, bisque haematemesis exoriebatur. Ad quod etiam accedit, quod creosotum propria urinae secretionis diminutione hydropis periculum admovet, sudoresque colliquativo provocat, aut, si qui jam adsint, auget. Et laryngeam phthisin cum lue universali complicatam Wolff per undeviginti dies creosoti granis 130 frustra curabat. Praeter hasce aliae quoque exstant ejusmodi observationes. Bluff paullo post cresotum adhibitum phthisicos melius se habere invenit, sputorumque copia minor facta est; sed hic melior status haud diu constabat; mox respiratio impedita a creosoto abstineri jubebat.

Contra vero Rampold et Ebers saepe in phthisi laudabile pronuntiabant creosotum, et Fraenkel eodem prospere in pulmonis abscessu usus est, uti quoque Blumenthal in aphonîa catarrhali.

Praeterea vero creosotum et vaporum forma adhibitum est, quorum inspiratio, ut Hechenberger affirmat, nullum isto-

rum damnorum affert, quibus usus internus abundat, et phthsicis magnam efficit levationem.

RHEUMATISMUS et ARTHRITIS.

Ob nonnulla eventa secunda, quibus Reich ex usu peculiariter paratae tincturae fuliginis in rheumatismo et arthritide gaudebat, cujus medicamenti efficecia nonnisi ex areosoto in ipso contento oritur, hoc purum et interne contra hoc morbos applicandum putabat. Primo in se ipso tentavit, qui post perfrictionem gravissimam pungenti dolore coxae dextrae laborabat, et sensu torporis per totum femur. Cum nonnulla frustra adhibita essent remedia, creosoti ope per novem dies valetudo restituebatur. Postea nonnulla alia tentamina simili cum successu peregit. Et Marcus laudat creosotum in rheumatismo, si morbus distinctam obtinet sedem, et nulla adest irritatio vasorum, nullaque dispositio aegroti ad sanguinis congestiones. Tscherpke in cephalalgia rheumatica gossypio creosoto humefacto auri illato celerem dolorum imminutionem effecit. Most et Schotte valde lotiones praedicant, creosoto in articulationes rheumatismo et arthritide tumefactas institutas, sicut Schweigger-Seidel usum ejusdem internum.

DIABETES MELLITUS.

Primus Berndt hunc in morbum conatus creosotum adhibere, effectus vidit saluberrimos. Utebatur cum diaeta carnea conjuncto, a qua quidem postea abstinuit. Creosoti vi urina ad normalem reducta est quantitatem, et exiguam tantum continebat sacchari copiam, ceterum consueta eam componentia. Sitis insatiabilis omnino remota et ciborum appetitus restitutus est. Talem eventum observabat tribus in aegrotis, quarti vero nulla fieabt conditio melior. Blasius,

Rehfeld et Elliotson contra nullum percepere fructum ex creosoti usu.

In asthmate Reich praestantissimam creosoti vim observabat. Elliotson eodem in epilepsia usus est; apud nonnullos aegrotos exucerabtiones rariores evadebant, apud alios nullos ferme videbatur effectus. apud quosdam vero conditio plane pejor facta. Idem creosotum aliquoties in hysteria cum eventu laeto in usum vocabat, nisi aderat sanguinis quaedam congestio inflammatoria.

VITA.

Natus sum Maximilianus Ferdinandus Wocke Vratislaviae, die mensis Novembris vicesimo septimo anni h. s. XX, patre Georgio, matre Friderica e gente Haensel, quibus adhuc salvis magnopere laetor. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis domi imbutus, novem annos natus adii regium gymnasium Fridericianum, Directore Kannegiesser. Ibi per decem annos egregiorum praeceptorum scholis usus et mense Martio anni XL maturitatis testimonio ornatus, in almam Vratislaviae universitatem discessi, et ab Ill. Hahn, penes quem tunc fasces academiae erant, inter cives academicos receptus, apud Ill. Henschel, t. t. decanum ordinis medici, nomen dedi. Per quatuor semestria hisce interfui scholis:

Ill. Thilo de logice; Ill. Elvenich de psychologia; Ill. Pohl de physice experimentali, de lucis et caloris phaenomenis et de electromagnetismo: Ill. Nees ab

Esenbeck de botanice speciali; Ill. Goeppert de botanice generali, de plantis officinalibus, de pharmacologia, nec non de arte, formulas medicas rite concinnandi, qui mihi quoque dux erat in excursionibus botanicis; Ill. Fischer ee chemia experimentali et organica; Ill. Gravenhorst de zoologîa; Ill. de Glocker de mineralogia, cujus et interfui repetitorio mineralogico; Ill. Henschel de encyclopaedia medica, de pathologia generali et de semiotice; Ill. Remer de therapia generali; Ill. Purkinje de physiologia universali et experimentali et de singulis physiologiae capitibus; Ill. Otto de corporis humani anatome universa, de historia foetus, qui idem vir in theatro anatomico mihi dux fuit; Ill. Barkow de osteologia et syndesmologia, de anatome comparata; Ill. Wendt de materia medica; Ill. Benedict de chirurgia et de fasciis rite applicandis et de instrumentis chirurgicis.

Anno h. s. XLII. Beroliuum me contuli, ubi ineunte Majo almae literarum universitatis Fridericae Guilelmae civibus ab Ill. Dieterici, qui fasces academicos tenebat, adscriptus, apud Ill. Juengkeu, t. t. decanum ordinis medicorum gratiosi maxime spectabilem, nomen professus sum. Per quatuor semestria his interfui scholis: Cel. Romberg de diagnosi morborum pulmonum, cordis et nervorum; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Wagner de medicina forensi et

de politia medica; Cel. Kluge de arte obstetricia et theoretica et practica.

In clinicis duces mihi fuere: Cel. Wolff, Ill. Schoenlein, Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach, Ill. Wagner, Ill. Busch, Cel. Truestedt, Cel. Kluge.

Quibus omnibus viris illustrissimis, celeberrimis, optime de me meritis, gratias ago semperque habebo quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, absolutis atque examine riguroso rite superato, spero fore, ut dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1) Sanguinis circuitus non impulsu cordis solo efficitur.
2) Medicus non minister sed magister naturae.
3) Musculi integra corporis valetudine nullo tempore non sunt contracti.
4) Secretiones quaelibet in ditione sunt systematis nervosi.
5) Differentia, quae interest inter congestionem et inflammationem, non nisi quantitativa.